



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De simplici sorore in Kumede, cui in oratione Christus respondit, quòd
esset in facul[...], cap. 32.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Matn eius inquireret, illa hilariter respondit: Optime, gratias vobis ago, quia sicut me docuistis, ita Dominū meum inueni. Qui cū verbum non intelligeret: & illa, secundū quod prædictum est, ad memoriam ei cuncta reuocaret, subrisit, Christum glorificans, simplicibus se conformat.

CAPVT XXXII.

IN Kummede, monasterio sanctimonialium ordinis nostri, simplex quædam puella fuit, ligneam habens imaginem crucifixi; quam cū frequenter adoraret, & deoscularetur, saccello impositā, sub stramentis lectuli sui abscondit. Oblita vbi illam posuisset, omnes angulos monasterij tristis circūiuit, quæsuit, sed non inuenit. Die quadam ante quoddam altare prostrata, cū pro eiusdem imaginis restitutione Christum cum multis lachrymis interpellaret, desiderio puellulæ delectatus Dei filius respondit: Noli flere filia, quia in saccello sub stramentis lectuli tui iaceo. Putabam mihi relatū fuisse à Priore loci illius, quod in somno vocem percepisset, sicuti posuisse me recolo in homilijs moralibus de infantia Saluatoris. Mox puella surgens, stramenta sua reuoluit, & sicut audierat, sic inuenit. Ecce hīc est quod dictum est superius, quod quandoque Dominus suam subtrahat gratiam, vt auidius quærat, & quærendo amplius mereatur. **A**POLLONIVS: Cū Deus simplicium oratione tantum delectetur, puto quod in conspectu eius valde pretiosa sit mors illorum. **C**ÆSARIVS: Veraciter pretiosa, quia virtus simplicitatis etiā martyrij palmam, & miraculorum gloriam meretur. Tria de hoc subnectam exempla.

CAPVT XXXIII.

IN Ferraria ciuitate Lōgobardiæ, ante annos paucos erat homo quidam Marcadellus nomine, mira simplicitatis, & erga sanctorum loca maxime deuotionis: Qui cū ob nimiam simplicitatem a multis pro fatuo haberetur, & in oculis Dei esset prudentissimus, quicquid de suis laboribus vltra necessitates naturæ reseruare poterat, illud in visitando limina

Simplicitas Martyri gloriosa

A a

beati